



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Quæstiones Canonicae De Decimis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]**

Pars I. De Origine & Natura Decimarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)



# QUÆSTIONES CANONICÆ

DE  
DECIMIS.

## PARS I.

De Origine & Natura Decimarum.

CAPUT I.

De Decimis in genere.

QUÆSTIO I.

*Quid sint Decimæ.*

SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Decimarum & Tributorum praestandorum universalis ratio. | & explicata.                            |
| 2. Generica Decimarum divisio.                             | 7. Oppositionis solutio.                |
| 3. 4. 5. 6. Earum definitio tradita                        | 8. Discrimen inter Decimas & Primitias. |

**D**E Decimis agens S. Augustinus suosque ad eas fide bona ac integrè solvendas cohortans, illud Christi *Math. 22.* sapienter usurpat: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* cum enim Deus sit supremus Dominus, Decimas

A

mas

mas sibi in signum universalis Domini reddi præcepit, ut loquitur Innocentius III. C. 26. & C. 33. h. t. Et cum omnia, quæ possidemus, liberali Dei sinu effusa sint, idcirco, quod grati sumus misericordissimo Patri, non tantum vitulos labiorum nostrorum, sed & de rebus, quibus non alit, aliquid sibi offerri voluit. Non tamen, ut idem S. Augustin. *hom. 219. de temp.* ait, novem partes sibi sumpsit, decimam nobis relicta, sed qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatus est repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Præterea hereditas ipsius sumus, & hereditas nostra est, ait idem S. Doctor *ser. 35. de verb. Dom. c. 6. quia & colimus eum, & colit nos, quia si colimus eum, ut Deum nostrum, ille colit nos ut agrum suum.* unde de suo, quem, & fecit, & colit fundo, fructum exigit: quem, si reddamus; addit S. Doctor parat horreum. Quia verò Principes derivatam à summo rerum Domino potestatem habent, ut Divina Sapiencia per Salomonem *Proverb. 8.* & per utrumque Apostolorum Principem. *1. S. Pet. 2. & Rom. 13.* ait, suntque DEI in terris Vicarij, ut explicat Suar. *de LL. Lib. 3. c. 4. n. 5. & 6.* & Terrestris Dij, uti numinantur *Exod. 22. & 28. & Psal. 81. v. 6.* idcirco ipsi quoque partem bonorum à subditis jure exigunt; partim in signum Domini alti & potestatis Regiæ; partim quia bona à Deo concessa tuentur, ac defendunt; partim quia sicut Nu-

minis Ministri sacri à Populo per Decimas alendi sunt, ita non minus ipsi, qui Dei Ministri sunt in Regimine profano, debetur à subditis, unde vivat, ut decet Reipublicæ capitaneus Duces: cum non minus de his, quam de illis valeat illud Apostoli *Hebr. 13. v. 17. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quibus ex capitibus idem Apostol. *Roman. 13. v. 5.* Tributi Principibus præstandi necessitatem deducit.

Hinc prima & summa divisio. 2. ne Decimæ dividuntur in Ecclesiasticas & profanas, seu sæculares. Profanæ sunt species quædam tributi, de quo Samuel *1. Reg. c. 18. v. 15.* cum jus, quod sibi novus Israëlitarum Rex usurpaturus esset, describeret, ait: *sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, ut det Eunucho, & famulis suis.* Meminitque similis Tributi Aristoteles *2. Oeconom. Strabo lib. 15.* & complura exempla adducit Petr. Gregor. *Syntax. Jur. un. lib. 2. c. 20. n. 2.* & Gonzalez *in C. 7. de Decim. n. 4.* Extant quoque de varijs profanis Decimis *L. inter 2. C. de infirm. pæn. Calib. §. 1. in fin. Instit. de pæn. temerè litigant. Novel. 112. c. 12.* Hæ olim dicebantur *Dominica & Indominicata*, ut ait Franc. de Roye *Instit. Jur. Can. l. 2. c. 12.* Canon quoque ab Emphyteutis pendi solitas, olim *decima* dicebatur. Hinc factum esse existimat Zypæus *Not. Jur. Belg. l. 1. tit. de Episc. §. de Decim. ut prætextu haru*

hanc decimarum multæ terræ à decimarum solutione Ecclesijs faciendæ exemptæ fierent. Decimæ Ecclesiasticæ sunt, quæ Ecclesijs & Clero solvuntur. Ad has, non verò ad illas, referri debent, quas Laici quidem percipiunt; sed solum privilegio Ecclesiæ. Nam licet dicantur sæculares, solam tamen utilitatem, quòdque temporale in ipsis est, Laici percipiunt, jure directo semper manente penes Ecclesiam. Unde licet à Laicis etiam in Laicos ordine successionis, vel per contractus transeant, si in feudum perpetuum ijsdem sunt concessæ: si tamen possessor Laicus nihil de ipsis disponat, & hærede careat, redeunt ad Ecclesiam, & ubi ad hanc redierint, in Laicos, saltem in perpetuum, transferri denuò non possunt, nisi auctoritate summi Pontificis, ut infra dicemus. Unde sequitur, quòd statum primævum & naturam semper retineant, neque penitus desinant esse Ecclesiasticæ; tametsi, quia à Laicis percipiuntur, passim dicantur Laicales, à spirituali titulo avulsæ, sæcularizata &c. Pari ratione non sæculares & profanæ, sed Ecclesiasticæ, sunt illæ, quas quandoque Pontifices de bonis Clericorum Principibus concesserunt, vel pro recuperanda Terra sancta, vel pro arcendis Hæreticis aut Saracenis. Quarum concessionum plura exempla affert Petr. Gregor. *loc. cit. à n. 3.* & aliqua hisce annis experti sumus. Verùm de Decimis merè profanis non est hinc locus agendi.

Assert. Decimæ sunt decima pars fructuum & lucrorum licitè quasitorum Ecclesiæ Ministris exsolvenda. Ita re ipsa omnes, patetque bonam esse definitionem ex *can. 65. 16. q. 1. c. 14. 26. & 27. l. 1.*

Dicitur I. *Decima pars*: quia etfi Deus partem majorem, quàm decimam in alimenta suorum Ministrorum exigere potuisset, hanc tamen potiùs, quàm octavam, vel duodecimam, justis de causis, de quibus infra, modò petit.

Dicitur II. *Fructuum & lucrorum*. Quæ verba hinc strictè sumuntur; fructus nimirum pro eo, quod natura; lucrum pro illo, quod industria parit. Decimæ autem non solum debentur ex ijs, quæ natura vel sola, vel nostro studio adjuncta confert; sed ex illis quoque, quæ solertiâ & manu comparamus.

Dicitur III. *licitè quasitorum*: quæ enim injustè parta sunt, decimationem non patiuntur. Nam si rem injustè partam non facio meam, meum duntaxat est, eam restituere, & Domini, decimas inde solvere. Si meam feci, Ecclesia recusat, ex foedo quæstu quæstum facere: quod quomodo verum sit infra *p. 5. c. 1.* fusiùs explicabitur.

Dicitur IV. *Ecclesiæ Ministris*, Clericis videlicet, juxta illud, quod dixerat Deus Aaroni *Num. 18. v. 12. omnem medullam olei & vini, ac frumenti, quidquid offerunt Primitiarum Domino, dedi tibi.* Et quod Levitis *cit. C. 18. Num. v. 21. Filijs*

A 2 autem

autem Levi dedi omnes Decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo foederis.

7 Non obstat dictis, quod decimæ non solis Ecclesiæ Ministris, sed etiam Laicis, & nimium multis penduntur. Nam illi solum in definitione exprimendi erant, quibus jure, & ex sua origine debentur; non quibus per accidens duntaxat ex privilegio, vel qui iniquè eas detinent, uti haud dubiè in nostra Germania multi eas Laici nullo legitimo titulo usurpant, sed partim calamitosi illis temporibus, quibus illa vicinæque Provinciæ varijs Hæresibus inundatæ, bonæque Ecclesiarum direpta fuerunt; partim invalida alienatione per Rectores Ecclesiarum facta, eas occuparunt, rudibus præcipuè aliquot seculis, quibus dissipatio bonorum Ecclesiasticorum frequens erat, uti patet ex pluribus Pontificum constitutionibus, per quas identidem prohibebatur, ac irrita declarabatur. Non enim ullo modo credibile videtur, tot Decimas, quot sunt penes Laicos, legitime istem

ab Ecclesia fuisse concessas: partim, quia de paucis concessionibus (quæ tamen ipsæ ferè solum ad tempus, & pro aliquo necessitatis casu factæ sunt) exstant testimonia: partim, quia non constat de tot Principum ac Procerum meritis in Ecclesiam, ob quæ sola Decimæ Laicis concedi solent; maximè quod illi, quorum ardentius erat Religionis studium, ac propterea majus in Ecclesiam meritum, temporalia ferè non exigebant ab eadem, sed suâ ipsi largiebantur.

Ex dictis infertur discrimen, quod est inter Decimas, & Primitias. Decimæ enim sunt pars Decima fructuum & lucrorum Ministris Ecclesiæ solvenda; Primitiæ verò sunt primi fructus. Hæ immediatè offeruntur Deo; in gratiarum actionem pro frugibus terræ illæ immediatè solvuntur Ministris Ecclesiæ ad sustentationem tanquam stipendium pro Ministerio, quo serviunt altari, & fidei populo. Et quamvis, ut nunc Clero, ita olim etiam Levitis solutæ fuerint Decimæ: Primitiæ tamen, uti & primogenita, solis Sacerdotibus & Pontifici cedebant.

## QUÆSTIO II

### Quotuplex sit Decimæ.

#### SUMMARIUM.

9. Decimarum diversitas juxta diversitatem fructuum.  
10. Quibusdam aliæ sunt Prædiales, aliæ Personales, aliæ Mixtæ.

11. Dividuntur adquatè in Reales & Personales.  
12. Nulla est necessitas addendi Mixtas.

12. *Discrimen inter Reales & Personales.*

14. *Reales alia sunt Majores, Minores alia.*

15. *Minorum acceptio non est ubique eadem.*

16. *Decima quadam sunt Ordinaria, quadam Extraordinaria.*

17. *Ecclesiastica alia sunt Spirituales, alia Temporales.*

18. 19. 20. *In dubio censentur Ecclesiastica & Spirituales.*

Cum varia sint res, ex quarum fructibus solvitur Decima pars, Decimarum quoque varia discrimina esse necesse est: cum ipsarum diversitas non tam a personarum, quibus; quam ex rerum, ex quibus penduntur, varietate nascatur. Fructuum præcipue, quorum decima pars solvitur, natura hic spectatur. Fructus autem sunt triplicis generis. Primò Naturales, quos natura producit, nullà, aut modicà adjuta hominum industrià, uti sunt foetus animalium, lac, lana, poma, frivæ caduæ. Secundò Merè industriales, quos tantùm, aut potissimum, labor & industria hominis parit, uti sunt quæstus & lucra ex negotiatione, pecunijs ad censum datis, artificio, officio &c. Tertio Mixti, qui partim ex re, partim ex industria nascuntur, uti sunt frumentum, vinum; butyrum, caseus &c. Mixti fructus à non paucis Juris Consultis Industriales dicuntur: nam Prædiales distinguunt in Naturales & Industriales, ut notat Covarru. *L. 1. var. c. 3. n. 6.* cum Gloss. *in L. Divortio ff. soluto Matr.* non quod in prioribus nulla concurrat hominum industria, & in posterioribus nihil operetur natura: sed quia in posterioribus mul-

tum natura facit cum modico hominum labore; in his verò multà industrià opus est, ut illa adjuvetur. Unde fructus arborum vocant Naturales, segetum Industriales, ac oleum quoque inter Industriales ponunt. Bartol. *in L. Ex diverso. C. de R. V.* Eadem est ratio de vino, ut indicatur *in L. ejus ff. de legat. 1.* Quo modo etiam lac, lana, & animalium foetus inter fructus Industriales numerantur à Bartol. *L. 2. & Bald. in L. ancilla L. de furt. ac Panor. in C. Gravis de restit. spoliat.*

Cum ergo fructuum sint tria genera, pariter tria Decimarum genera erunt. Primò Prædiales, quæ de fructibus ex prædio sive è terra provenientes solvuntur. Secundò Personales, quæ ex lucro, per quamcunque licitam hominis actionem, puta, per negotiationem, artificio acquisito præstantur. Tertio Mixtæ. Ita cas dividunt Hostiens. *in summa h. t. §. 1. Sylvest. & Angel. V. Decima.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 34. q. 3.* Monet. *de Decim. c. 3. v. 9.* Fagundes *lib. 1. c. 2. n. 1.* Rebuffus: *tr. de Decim. c. 3. q. 3. n. 29. & 30.* Tyndar. *cod. tract. 9. 1. n. 4.* Gonzal. *in C. 7. h. t. n. 4.* Gilcken. *ad Auth. quas notiones. C. de S. S. Eccles. à n. 3.* Duaren. *de S. Eccl.*  
ad 3 *Distict.*

*Ministr. Benef. lib. 7. c. 1. Hun. Encyclop. p. 5. t. 2. c. 1. v. 14.* alijque plurimi. Verum hoc tertium divisionis membrum ceaseo redundare, & involvi in primo. Itaque sit

11 **A**ssert. I. Decimæ adæquatè dividuntur in *Reales & Personales*. Ita Suar. *Tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 9. n. 4.* August. Barbol. *de Offic. Paroch. c. 28. §. 3. n. 9.* alijque communiter teste Navarr. *Cons. 1. de Decimis num. 8.* præsertim RR. *Reales* dicimus, quæ solvuntur ex fructibus, quos natura profert, vel bonitate ferè spontanea, & industriâ hominum non provocata, vel hæc adjuta. Quales sunt Decimæ frumenti, vini, olei, olerum, pomorum, leguminum, foeni, lini, cannabis, nec non foetûs, aliorûmque fructuum, quos proferunt animalia, aut quæ ex his fructibus fiunt, ut lactis, lanæ, ovorum, mellis, butyri, casei, &c. Hæ plerumque dicuntur *Prædiales*, eò quòd ex solo & prædio proveniunt. *Personales* sunt, quæ percipiuntur ex lucris, seu commodis, quæ præcipuè, ac immediatè suo labori, industriæ, arti, ac ingenio, debet persona; uti sunt lucra ex artefactis & negotiatione, salaria ratione officij aut dignitatis, merces locatæ operæ, stipendia militiæ, spolia ex hostibus, præda ex venatione, aucupio, piscatu &c.

12 **Q**uòd nulla sit necessitas addendi tertium genus *Mixtarum*, sed quòd hæc sub primo *Realium*, seu *Prædialium* comprehendantur, sumitur lex *L. 28. ff. de usur.* ubi Jctus: in

*pecudum fructu etiam factus est, sicut & lac, & pilus, & lana.* Itaque agni & hædi & vituli statim pleno jure sunt bona fidei possessoris & fructuarij, sicut alij fructus fundi bonæ fidei possessi. Censendi igitur sunt tales fructus esse verè naturales, non industriales. II. Quia *C. 20. h. t.* tantùm fit mentio *Personarium*, & *Prædialium*, nullibi *Mixtarum*.

III. Quia etsi ad fructus animalium multum conferat industria humana, potissimùm tamen tribuit benignitas ac solertia naturæ. Unde quamvis ad frumentum, vinum, ac legumina plurimum laboris, ac industriæ humanæ requiratur, (qua de causa à Juris-Consultis inter fructus in industriales numerantur, ut diximus) longèque plus, quàm ad poma arborum, & ad foenum; nihilominus non dicuntur Decimæ Mixtæ, sed absolutè ad prædiales referuntur. Ergo ad has pariter referendæ sunt Decimæ animalium. Aliàs si partim prædiales, partim personales censendæ forent, quia cum natura in his fructibus producendis multum laborat humana industria, pauci forent fructus, & Decimæ prædiales, sed sola ferè poma, ac foenum. IV. Quia ipsi adversarij extra præsentem controversiam Decimas mixtas accensent Prædialibus, & reverà inter has computandæ sunt, ut benè notat Marta *de Jurisdic. p. 2. c. 43. n. 36.* Nam sicut Decimæ frumenti solvendæ sunt non illi Parochiæ, in qua Dominus fundi habitat; sed illi, in qua est

est fundus, ita pariter decimus foetus solvendus est ibi, ubi pascua sunt, & foetura pecoris, non ubi ejus Dominus. Et sicut non deductis expensis decimæ prædiales solvuntur, ita pariter illæ, quas dicunt Mixtas. Igitur naturam participant Prædialium, non Personalium; cum hæc solvantur deductis expensis, & ibi, ubi habitat, qui lucrum fecit.

13 Cæterum accuratè perquirere, quid intersit inter Decimas Reales ac Personales, propter diversas earum proprietates & effectus magnopere necessarium est. Nam I. Reales debentur expensis non deductis. II. Debentur etiam ab Infidelibus, v.g. à Judæis ex prædijs & animalibus, intra fines Catholicæ Parochiæ sitis. III. Majores (de quibus mox agemus) debentur ubique, IV. Debentur Reales illi Parochiæ, intra cujus fines proveniunt fructus. E contrario Personales non debentur, nisi deductis expensis. Nec ab Infidelibus. Nec ubique, sed ferè nullibi locorum. Nec in Parochia, intra cujus fines lucrum provenit, sed ubi habitat is, qui percipit: quas differentias infra explicabimus.

14 Assert. II. Decimæ Reales aliæ sunt Majores, Minores aliæ. Ita Innoc. III. in C. 30. h. t. estque ista distinctio passim usu recepta, præsertim in nostra Germânia, ubi sæpe Episcopo, Principi, Monasterio &c. Decimæ Majores solvuntur, Minores Parocho vel Vicario. Majores sunt, quæ penduntur ex frumento, vino, oleo &c. Mi-

nores ex animalibus, foeno, olivibus, pomis arborum, lino, castane, rapis, naps, cepis, milio, variisque leguminibus, ut fabis, pisis, ciceribus, lentibus, lupinis &c.

15 Quemadmodum verò universim quoad decimas multum possunt consuetudo, & peculiarium locorum statuta, ut infra dicetur: ita id maxime verum est quo ad fructus, utpote quorum aliqui hinc ad majores, alibi ad minores decimas referuntur. In Statutis Bavaricis Tit. 28. art. 12. fructus decimis obnoxij, haud dubiè juxta antiquam consuetudinem, sic distribuuntur: Zu dem kleinen Zehent gehören Kraut / Rieben / Flay / Hauff / Breim / und dergleichen geringe Frücht / auch der Obst / und Blut Zehent; aber Arbeits / Hädelpreun / Bonnen / und Linsen / sollè zu dem Getraid / als zu dem grossen Zehent gerechnet werden / es wäre dann an einem oder anderem Orth ein anderes / wie recht ist / herkommen / soll es dabey bleiben.

16 Assert. III. Decimæ aliæ sunt Ordinaræ, quæ videlicet statis temporibus, & stabiliter ex fructibus prædiorum, ac lucris personæ solvuntur. Aliæ Extraordinariæ, extra ordinem & in certis quibusdam casibus à SS. Pontifice imponuntur. Tales erant, de quibus agitur Clement. 2. h. t. & Extravag. un. cod. Tales item, quas summi Pontifices ex bonis Ecclesiasticis pro subsidio Terræ sanctæ, aut in bellum sacrum contra Saracenos, Franciæ aliisque Regibus frequenter concesserunt, ut dixi



n. 2. & multa huiusmodi concessio-  
num exempla afferunt Petr. Greg.  
*Syntag. Jur. lib. 2. C. 20. à n. 3. &*  
*Roufel. lib. 3. Histor. Jurisd. Pontif.*  
*c. 2. Esse penes SS. Pontificem hanc*  
*potestatem à Clericis hæc exigendi ex-*  
*tra dubium est, & patebit ex dicendis.*

17 Assert. IV. Ecclesiasticæ Decimæ  
aliæ sunt Spirituales, aliæ Tempora-  
les. Spirituales sunt, quæ penes Ec-  
clesiam sunt, sicque titulo spirituali  
connexæ. Temporales, quæ à Sede  
Pontificia, vel ante Concilium Late-  
ranense Anno 1179. celebratum  
etiam ab Episcopis in feudum, etiam  
perpetuum, laicis concedebantur;  
unde passim Decimæ Sæculares & Lai-  
cales nominantur. Sunt istæ nihilo-  
minus Ecclesiasticæ: quia, quando  
Laicis conceduntur decimæ, sola  
utilitas conceditur, manetque Jus di-  
rectum semper penes Ecclesiam, &  
idcirco, ut dixi supra n. 2. si rever-  
tantur ad Ecclesiam, redeunt pariter  
ad primævum statum, & naturam, ne-  
que tanquam laicales liberè denuò  
in laicos alienari in perpetuum pos-  
sunt; possunt verò ab Ecclesia vindicari,  
si Laicus eas vacantes sine legiti-  
mo hærede reliquerit, aut crimen  
confiscatione dignum commiserit,  
ut rectè monet Engl *h. t. §. 2. n. 19.*  
Hinc aliqui illas, quas dixi Spiritu-  
ales, vocant omnino Spirituales,  
seu strictè Ecclesiasticas; has verò  
dicunt laicales aliquo modo, seu mi-  
nus strictè Ecclesiasticas. Plurimi  
alij supponunt, has Decimas tempo-  
rales esse verè Ecclesiasticas, & non

malè allatam modò divisionem om-  
nino omittunt, quia videlicet non est  
de natura Decimarum, sed merè per-  
accidens, esse penes laicos earum uti-  
litate.

Notandum hie porro est, quales  
in dubio censendæ sint Decimæ. Ec-  
primò quidem dubitari potest, an ali-  
qua Decima secundum suam origi-  
nem, & jus radicale sit profana, an  
sacra. v. g. si Princeps ex aliqua re  
decimas percipiat, & dubitetur, an  
tributi nomine fuerint impostæ ab  
anteecessoribus, sicque semper & in  
ipso ortu fuerint profanæ, an verò  
eidem ab Ecclesia concessæ? Secun-  
dò dubitatur frequenter, utrum De-  
cimæ Ecclesiasticæ manserint spiri-  
tuales, quales naturà suà sunt; an  
verò à titulo spirituali separatæ laicis  
sint concessæ?

In secundo casu videtur omnino  
certum esse, quòd præsumendum sit,  
non fuisse separatas à titulo suo spi-  
rituali, sed esse etiamnum purè Ec-  
clesiasticas, & Spirituales. Ita Baldus  
*lib. 1. cons. 419.* aliique communissi-  
mè, estque frequenter ita iudicatum  
in Rota Romana, teste Card. de Lu-  
ca *disc. 6. de Decim. n. 16.* Ratio est:  
quia talis mutatio & alienatio Deci-  
marum in Laicos est facti, estque Pri-  
vilegium; factum autem non præsu-  
mitur, sed probari debet, *L. in bello §.*  
*Facte ff. de capt. & postlim. l. 1. C. de*  
*Probat. l. asseveratio C. de non num.*  
*pecun.* Privilegium quoque non  
præsumitur. Decius & DD. *in C. Cor-*  
*rò de Privileg.* quia est quid facti. Ec-  
sicut

sicut res, quæ erat, præsumitur adhuc esse, ita præsumitur esse, qualis fuit, C. 6. & C. 9. de Præsumpt. L. si quis ex argentarijs. §. an & heredi ff. de Edendo. L. testium. C. de testib.

In primo quoque casu præsumptio est pro Decima Ecclesiastica, ut benè tradunt Layman. lib. 4. Theol.

Mor. 21. 6. c. 1. in fin. Pirrhing h. t. n. 5. alijque. Ratio est: quia comunis lex & consuetudo Ecclesiæ semper fuit, ut ex prædijs clero penderentur Decimæ, ergo si ex aliqua re non Ecclesia, sed Princeps laicus, decimas percipit, censendum est, quòd in hunc ab illa fuerint translata.

## CAPUT II.

## De Jure, quo statuta sunt Decimæ.

## QUÆSTIO I.

## An sint statuta Jure Naturæ?

## SUMMARIUM.

21. *Causa efficiens Decimarum Remota & Proxima.*

22. 23. 24. *Videntur deberi Jure Naturæ.*

25. *Non debentur hoc Jure formaliter sumpta, & ut sunt hac pars*

*determinata.*

26. 27. 28. *Solutio oppositorum.*

29. 30. *Debentur Jure Naturæ, quantum sunt necessaria ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ.*

31. *Et Jure Divino etiam positivo.*

21 **E**Xplicatâ, quantum satis est, naturâ & causis intrinsicis Decimarum, exprimenda nunc est causa efficiens tam Remota, quàm Proxima. Proxima sunt illi, qui eas solvunt. Remota est lex obligans ad solvendas. Hæc utrùm sit Humana tantùm, an verò Divina vel Naturalis, sciri multùm interest: nam si est una ex posterioribus, nec consuetudo contraria, nec præscriptio ipsi prævalebit; uti nec Privilegium. His autem omnibus tolli potest, si dunta-

xat humana est. Loquimur autem de Decima parte fructuum, seu de Decimis, ut vocant, formaliter sumptis; non de illa parte seu quota, quæ necessaria præcisè est ad alendos Ecclesiæ Ministros, quam non pauci vocant Decimam materialiter spectatam, vel Decimam sustentationis.

Sunt, quæ suadeant, jure Naturæ deberi. Nam I. in statu Naturæ Abraham de omnibus spolijs, quæ tulerat de quinque Regibus à se devi-

B

dis,

Æis, decimas dedit Sacerdoti Melchisedech, *Genes. 4. & Hebr. 4. Intue-  
 mini, quantum fuerit hic, cui & De-  
 cimas dedit de præcipuis Abraham  
 Patriarcha, II. Jacob Genes. 28.  
 v. 20. votum vovit dicens, si fuerit  
 Dominus mecum, & custi dierit me  
 in via &c. cunctorumque, qua de-  
 deris mihi, decimas offeram tibi.*  
 III. apud Gentiles receptissima fuit  
 Decimarum oblatio, ut constat ex  
 Diodoro Siculo *lib. 5.* Plutarcho  
*Problem. c. 26.* Herodoto *lib. 1.*  
 Plinio *lib. 18. Histor. Nat. c. 2. & lib.  
 19. c. 14.* Xenophonte *de laud. Age-  
 silai.* Livio *lib. 5. decad. 2.* Valerio  
 Maximo *lib. 3. c. 1.* Sic Athenienses  
 quotannis decimas frugum suarum  
 seponebant Sacrificijs publicis, &  
 consodis communibus. Idem *Popu-  
 lus Atheniensis*, ut ait Diod. Sicul. *lib.  
 11. dicitur Deo decimam partem,  
 quam ex spolijs detraxerat.* Egi-  
 natz ex spolijs Persarum, qui Pla-  
 tzenæ prælio occubuerant, deci-  
 mam Dijs quibusdam dedicarunt.  
 Reliqui quoque Græci, Carthagi-  
 nenses, ac Romani, Apollini, Hercu-  
 li, Jovi Feretrio decimam de præda  
 sacraverunt. Cyrus consilio Croesi  
 ex omnibus hircis decimum quem-  
 que Jovi reddidit. Agesilaus duorum  
 annorum spatio centum talenta &  
 amplius Deo apud Delphos in Deci-  
 mam dedit. Sabæi Deo suo, quem  
 Sabin dicebant, Thuris collecti deci-  
 mam partem obtulere. Mercatores  
 aliique lucris inhiantes Herculi de-  
 cimam voverunt, ut tanto heroe in

societatem lucri vocato & rerum  
 suarum satagente, commercia feliciter  
 promoverent. Hanc illi portionem  
 Herculeam vocabant. Lucullum Ro-  
 mani moris & juris peritissimum,  
 quod decimam vovisset, votumque  
 persolvisset, maximis opibus auctum  
 veteres existimasse, narrat Plutar-  
 chus in Lucullo. Plura huiusmodi  
 vota ab antiquis fuisse emissa constat  
*ex L. 2. ff. de Pollicit.* ubi Ulp. *si deci-  
 mam quis honorum vovit, decima  
 non prius esse in bonis desinit, quam  
 fuerit separata, & si forte, qui deci-  
 mam vovit, decesserit; ante seposi-  
 tionem, hæres ipsius hæditario no-  
 mine obstrictus est: voti enim obli-  
 gationem ad hæredem transferre con-  
 stat.*

Hac autem non nisi natura ductu  
 facta sunt; quod enim à plerisque  
 gentibus fit, saltem si arduum est, &  
 cupiditati humanæ adversum, cen-  
 sendum est fieri præcipiente natura.  
 Sicut vicissim illud, à quo plerique  
 gentes abhorrent, à natura ventum  
 esse judicamus. Sic ex eo, quod pler-  
 que gentes etiam Barbaræ abhor-  
 rent à connubijs filiorum cum pa-  
 rentibus & novercarum cum privi-  
 nis, rectè inferitur, impedimentum  
 consanguinitatis & affinitatis in pri-  
 mo gradu Lineæ rectæ, esse juris na-  
 turalis. Non enim est credibile, gen-  
 tes tam multas cæteroque discordes  
 ingenio, moribus, & legibus civilibus  
 in aliqua re contra appetitum sensitivum  
 & efficienda, vel omittenda esse con-  
 cordes, nisi lex quædam omnibus in-  
 gata

quod fieri illam jubeat, aut veret. Cum igitur in offerendis Deo Decimis plurimæ gentes convenerint, absque aliqua lege positivâ, censendum est, id eas fecisse Naturâ non solum suadente, sed etiam præcipiente, quia suis se spoliare res est ardua, ardua verò absque præcepto & coactione non obtinentur.

Allatæ rationi accedit alia lumine Naturæ nota: dicitur enim juris naturalis ratio, decimas Ministris Ecclesiæ solvendas esse, cum non Domino solum, in cujus sortē vocati sunt, sed populo quoque laborent, ministrando Sacramenta, verbum Dei prædicando, sacrificia & preces pro salute commissi Gregis, totiusque fidelium congregationis, offerendo. Unde in omni Republica cæti que hominum, etiam solo naturalis legis lumine imbutorum, magna semper, uti sacrificiorum, ita sacrificiorum cura fuit habita, hisque alimenta constituta tum ex horreis publicis, ut olim ab Ægyptijs *Genes. c. 47.* tum ex ijs, quæ Deo ad aras offerebantur. Igitur considerato jure etiam solum naturali Decimæ clero debentur. Esse verò etiam hodie debitas *jure divino & naturali*, tenuerunt, ut ait Covar. *lib. 1. var. c. 17. n. 2.* Gloss. Archid. Anchar. ac alij *in C. 1. hoc tit. in. 6.* Innocent. *in C. ult. de Paroch.* Joann. And. *in Rubr. de decimis*, Abbas *in C. aliquibus eod.* Sed malè allegantur: solum enim asserunt, deberi jure divino, nec de Naturali mentionem faciunt. Afferit verò Andr. Hispanus

*tr. de Decimis. §. 2.* etiam hoc jure eas deberi, nec posse illud etiam quoad quotam ab Ecclesia immutari.

Afferit. 1. Decimæ non debentur <sup>25</sup> jure naturæ. Ita cum S. Thoma *2. 2. q. 87. art. 1. ad. 3.* omnes Th. Th. & Canonistæ. Estque assertio indubia, ut ait Navar. *in Man. c. 21. n. 28.* Ratio est. Quia non constat de ullo præcepto decimas solvendi, ante legem scriptam seu Mosaicam. Natura enim solum dicitur, ut Deum colamus tanquam conditorem & supremum rerum omnium Dominum, eidemque ut bonorum omnium fonti grati simus: modum verò, quo cultus iste & gratitudo exhibeatur, non determinavit. Neque erat ratio, cur illi nostræ erga Deum obligationi potius per Decimarum obligationem, quam via ac ratione alia satisfieri vellet; quia ut benè observat S. Thomas *loc. cit.* ante tempus veteris legis non erant determinati divini cultus Ministri, idcirco neque erat ratio Ministris divini cultus certam aliquam partem determinandi.

Neque difficile est, ad ea, quæ in <sup>26</sup> oppositum allata sunt, respondere. Quòd Abrahamus Decimas obtulit, sponte id, ut ferè cætera, & liberali animo fecit. Quòd Jacob Decimas vovit, potius probat, non fuisse ad eas dandas aliquo præcepto vel Naturali vel Divino positivo adstrictum: ipse enim modus solvendi ex voto ostendit, fuisse solum ex devotione & ultronea promissione, ut rectè observant Hug. de S. Viç. *lib. 1. de*

de Sacrament. c. 4. & 11. & Abulen-  
fis in c. 23. Math. 9. 62. ferè enim illa  
solùm Deo per votum offerimus,  
quæ offerre liberum est.

27 Quæ de varijs gentibus, Decimas  
offe entibus, nec Hebræis nec Chri-  
stianis, ac idcirco nulla lege positiva  
ad id obligatis, adducta sunt, solùm  
probant, conformem esse hanc ob-  
lationem dictamini Naturæ; non ve-  
rò, quòd hæc obliget. Erantque De-  
cimæ à Gentibus oblatae ferè solùm  
de præda & spolijs, non verò de fru-  
ctibus soli, vel lucris ex industria per-  
sonæ. Non erat autem ratio, cur  
Natura potius de spolijs hostium,  
quàm de alijs proventibus illas solvi  
juberet. Neque etiam ex illis Genti-  
bus omnes, aut ferè omnes, Decimas  
soluebant; sed tantùm aliqui. Non  
est autem Jure Naturæ præceptum,  
quod aliqui tantùm faciunt, reliqui  
sine reprehensione aliorum omit-  
tunt. Illi denique oblatores speciali  
encomio celebrantur tanquam libe-  
rales & grati in Deum: quod non  
fuisset factum, si fuissent obligati, &  
passim alij idem facitassent.

28 Secundum argumentum probat  
quidem, ut mox dicemus, quòd Mi-  
nistris sacris alimenta debeantur;  
non verò, quòd pars decima om-  
nium fructum.

29 Assertio II. Jure Naturæ ac Divi-  
no debetur Ministris Ecclesiæ in la-  
boris impensi justam mercedem ea  
pars fructuum, quæ ad ipsorum con-  
gruam sustentationem necessaria est.  
Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 87. art. 1. in

C. Th. Th. & Canonistar. communis  
& certa sententia, cuius contrariam  
Covar. lib. 1. var. c. 17. n. 2. censet  
esse hæreticam, cum in Concilio Con-  
stantiensi sess. VIII. ex Joannis Wic-  
cleffi 45. propositionibus, hæc quo-  
que numero decima octava damnata  
sit; *Decima sunt pura elemosina, &  
Parochiani possunt propter peccata  
Pralatorum suorum liberè auferre  
eas.* Verùm etsi S. Synodus, ut refe-  
runt Barth. Caranza in summa dicit  
concilij sess. 8 & Cabassutius in Noti-  
tia Ecclesiastica secul. 15. comment.  
ad idem concil. n. 1. plures ex illis 45.  
articulis Wicleffi pronuntiavit esse  
notoriè hæreticos: aliquos tamen  
solùm damnavit, ut *erroneos, scan-  
dalosos, blasphemos, bonarum au-  
rium offensivos*, nec expressit, qui-  
nam determinatè sint hæretici. Igi-  
tur solùm statuit, dari obligationem  
solvendi decimas; non verò tradidit,  
tanquam fide divina certum, eas de-  
beri jure naturali vel divino.

Certum nihilominus est, vi legis  
Naturalis deberi à populo illam, quæ  
diximus, clericis partem. Nam ratio  
dictat, ijs, qui pro populo laborant,  
alimenta à populo præstanda. Unde  
sicut jure Naturæ Regibus debentur  
tributa, Militibus stipendia, Judici-  
bus alijsque publicis Ministris salaria;  
ita eadem eodem jure debentur ijs,  
qui populo in sacris ministrant. Pau-  
cis hanc rationem expressit Sapientia  
Divina Luca 10. v. 7. dicens Dis-  
cipulis. *In eadem autem domo ma-  
nete edentes & bibentes, quæ apud  
illos*

illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. & Paulus 1. Corinth. 9. v. 7. qui militat suis stipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Esse verò hoc debitum Justitiæ S. Augustin. in Psal. 146. ex cit. Christi verbis bene sic deducit; Ne putarent (Fideles) aliquid de suo donare, dignus est, inquit, mercede sua. Et quidem si Jure Naturæ & ex Justitia debetur stipendium ijs, qui profana ministrant, à fortiori debetur sacra ministrantibus, ut indicat Apostolus 1. c. v. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Et ad Rom. 15. v. 27. Debitorum sunt eorum: (Gentiles conversi eorū, à quibus lumen fidei acceperunt.) Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis.

31. Lege quoque divinâ positivâ, prout hæc distinguitur à Naturali, quam Deus animis nostris, mox dum concepit, implantat, deberi alimenta Dei Ministris, desumitur ex cit. Christi

& Apostoli verbis: ubi enim attulerat, quæ sunt Juris naturalis, quòd scilicet nemo stipendijs suis militat, & de fructu vineæ edit, qui eam plantat, subdit: an & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scriptæ sunt. Et v. 13. Nescitis, inquit, quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, eaunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant? Itaque Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Est ergo, teste Paulo, ordinatio, ac præceptum Domini, ut alantur, qui Evangelium prædicant. Quod repetit. 1. Tim. 5. qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina, dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti, & dignus est operarius mercede sua. Ubi Ambrosius, alijque Interpretes, per duplicem honorem intelligunt reverentiam, Ministris Christi debitam, & sustentationem.

## QUÆSTIO II.

Præceptum de Decimis in lege Gratia sitne Divinum, an solum Ecclesiasticum?

### SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| 32. Opinio docentium, decimas in lege Gratia deberi Jure Divino. | 36-37. Non debentur Jure Divino in Lege Nova. |
| 33-34-35. Rationes hujus doctrinae.                              | 38-39. Responsio ad contrarios.               |
|  | B 3 40. Deben-                                |

40. *Debentur Lege Ecclesiasticâ.*41. *Edque antiquissimâ & Ecclesia  
coevâ.*42. *Debentur ex Religione simul &  
Justitia.*43. *Non sunt elemosynæ.*

32 **H**umanum duntaxat sit præcep-  
tum de solvendis decimis, an  
divinum, plurimum referre jam dixi  
n. 23. Hoc ultimum dicendum erit, si  
cum Canonistis sentire velimus: hi  
enim fere omnes, si RR. excipias, acriter  
propugnant, divino Jure, etiam in  
lege nova, solvendas esse: hoc tamē  
discrimine, quod Hostiens. *in sum. h. t.*  
Joan. Andr. *in regul. qui prior.* Felia.  
*in c. causam de præscript.* Henr. *in c.*  
*Pervenit. h. t.* Card. *in c. 1. eod.* Flori-  
an. & alij, Decimas solum Reales Ju-  
re divino deberi autumant, non  
item Personales. Idem ex RR. tenet  
Nicol. Lemaistre *de Decim. c. 2. &*  
3. ubi defendit, decimas prædiales  
omnino provenire à Jure divino tam  
quoad substantiam, quam quoad  
quotam. Alij verò, ut Innocent. *in*  
*rubr. de Decim. & in C. de Paroch. ult.*  
Gloss. Francus, Anchar. *in c. 1. b. t. in*  
6. Archid. *in c. Decima. 19 q. 1. & in*  
*C. quicumque 16. q. 7. & Gloss. ibidem*  
Anton. de Butrio *in C. Parochianos*  
*h. t.* Abbas *in c. aliquibus h. t.* Ale-  
xand. *Conf. 60. lib. 4.* Tyndar. *tr. de*  
*Decim. q. 2. n. 36. & 10.* (quos ex Th.  
Th. secuti sunt Andr. Hispan. *tr. eo-*  
*dem s. 2.* & Albertus Pighius *lib. 5.*  
*Hierarch. Eccles. c. 7.*) absolutè pron-  
untiant, præceptum de Decimis esse  
divinum. Et quidem Innocent. *in c.*  
*ult. de Paroch. in fin.* ait, mirum esse,  
quòd quidam dicunt, non deberi de-

cimas personales, & hoc ipsos dice-  
re, velut infanos & Hæreticos, cum  
expressè habeatur contrarium Num.  
10. & Deuter. 12.

Nititur Sententia hæc veterum 33  
argumentis, primo aspectu irrefra-  
gabilibus, cum effata SS. PP. Conci-  
liorum ac SS. Pontificum, quæ pro ea  
afferuntur, videantur esse aperta.  
Nam I. Juxta S. Hieron. *relat. C. fin.*  
16. q. 1. decimæ divini Juris esse nos-  
cuntur. Idem sentire videtur S. Am-  
brosius *relat. can. nam qui Deo 16.*  
q. 2. Idem S. Augustinus *relat. can.*  
*Decima 16. q. 1.*

II. Probatur auctoritate SS. Ca. 34  
nonum. Nam juxta Concil. Mogunt.  
*relat. can. admonemus 2. 16. q. 2.* de-  
cimas ipse Deus dari constituit.  
Juxta Concil. Lateran. sub Greg. VII.  
*relat. can. 1. 16. q. 7. fideles Domino*  
*præcipiente eas offerunt.* Juxta Ale-  
xandrum III. *C. Parochianos h. t. De-*  
*cima non ab homine, sed ab ipso Do-*  
*mino sunt instituta.* Juxta Innoc.  
III. *C. tua 25. h. t. Divina Constitu-*  
*tione debentur.* Juxta eundem *C.*  
*tua nobis 26. eod. eas Deus in signum*  
*universalis dominij sibi reddi præ-*  
*cepit, suas esse decimas, & primitias*  
*asserens.* Ibidem ait, *ex mandato*  
*divino deberi.* Idem *c. in aliquibus*  
*s. f. h. t.* ait: *Ille quippe decima ne-*  
*cessario solvenda sunt, quæ debentur*  
*ex lege Divina, vel loci consuetudi-*  
ne

ne approbata. Tandem Concil. Trid. sess. 25. c. 12. de Reform. ait, decimarum solutionem esse debitam Deo.

III. Abstrahendo ab autoritate, affertur ipsum Dei præceptum. Nam imprimis illud, quod olim Judæis interprete Mose datum est, non fuit revocatum; partim quia de revocatione non constat; partim quia allegatur à PP. & SS. Canonibus, qui proinde supponunt, adhuc extare. I I. Fit ejus mentio in novo testamento. Sic Christus dixit, dignum esse operarium mercede sua, & decimas Pharisæorum ex mentha, anetho, & cymino, ad quas lege divina obstringebantur, approbavit, dicens: *hæc oportuit facere, & illa non omittere. Math. 23.* Idem respondit Scribis, & Pharisæis: *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*, id est, decimas: nihil enim magis Dei ist, quam decimæ, ut argumentatur Anast. Germon. *tr. de sacrorum immun. l. 1. c. 19. n. 3.* juxta illud *Levit. 27. v. 30. omnes decima terra, sive de pomis arborum, Domini sunt. Et Malach. 3. v. 10. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea.* Tandem Apost. 1. Corinth. 9. v. 14. aperte affert præceptum divinum, dum ait: *Ita & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

36 Verum etsi hæc antiquis Canonistis visa sint manifestè suam opinionem probare, nihilominus constans semper fuit Sententia ferè omnium Theol. cum Hugone de S. Vict. de Sa-

*cram. Lib. 1. c. 4. & II. S. Thoma 2. 2. q. 87. art. 1. Alensi 3. p. 9. § 1. m. 1. 2. & 3. estque omnium RR. Jurisperitorum cum Navarro in Man. c. 21. n. 28. Covarr. l. 1. var. c. 17. n. 2. & Guttier. l. 2. can. 99. c. 21. n. 8. Ferd. Vasq. l. 2. contr. c. 89. n. 1. nullum in Lege Gratia de solvendis decimis Divinum præceptum extare.*

37 Affert. I. Decimæ in lege nova non debentur Jure Divino. Stant pro hanc assertionem rationes satis manifestæ. Nam I. In lege gratia non datur lex aliqua Divina, quæ simul Naturalis non sit, nisi de Sacramentis, & rebus credendis. Illa verò, quæ lata fuerat Hebræo Populo de decimis, non erat Naturalis, sed solum Ceremonialis, vel Judicialis. Non ergò amplius viget. Major probatur à S. Thoma 1. 2. q. 108. art. 1. & 2. & Quodlibet. 4. art. 13. Ac quantum attinet ad decimas, inde constat: quia sub lege Evangelica ea solum ex præcepto divino tenemur servare, quæ ab ejus conditore Christo Apostolis, & per hos Orbi præcepta sūt, juxta illud *Math. ult. docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* At qui non constat, aliquid mandatum fuisse de decimis. II. Quæ juris sunt divini, consuetudine contraria, vel dispensatione tolli non possunt. *c. litteras. 13. de rest. spol. & cum tanto de consuet. c. consuetudinem dist. 11. S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 1. Gloss. in c. ult. de consuet. estque constans omnium Theol.*



Theol. Sententia, teste Azor *p. 1. l. 5. c. 17. q. 2.* At certum est, decimas consuetudine mutari, & tolli posse, uti dicitur infra *n. 261.* Neque satisfacit Adversariorum responsio, consuetudinem, ut excuset à solutione decimarum, debere esse approbatam à SS. Pontifice. Non enim prodest hæc approbatio, si illæ debentur Jure Divino, cum Pontifex in hoc Jure dispensare non possit, ut probat S. Thomas *quodl. 4. art. 13. quodl. 9. art. 15.* & in *4. dist. 27. q. 3. art. 3. ad 2.* & supponit ubique, quem sequuntur communiter Th. Th. ac fusè demonstrat Suarez *lib. 9. de LL. c. 6. à n. 7.* hinc ex eo, quod Pontifex dictam consuetudinem approbat, consequens est, eam non esse contra Jus Divinum. Unde non malè asseruisse videtur Bellarm. *tom. 1. cont. 5. l. 1. c. 25. §. quartus,* opinionem illorum Canonistarum, qui asserunt, decimas non posse lege humana, vel consuetudine mutari, eò quod sint Juris Divini, esse errorem manifestum.

38 Ad ea, quæ in contrarium primo loco ex SS. PP. secundo ex Concilijs, & SS. Canonibus allata sunt, una valet responsio. I. Dicuntur quandoque aliqua esse constituta Jure Divino, etsi Deus illa non immediatè per se, sed solùm per suam Ecclesiam statuerit. Hinc Canonès Ecclesiæ frequenter appellantur *Jus Divinum*, ut *c. 3. dist. 20. c. 30. jurejur. c. 1. de jur. cal. c. 2. de Pri-*

*vil. in 6. ac alibi sæpe.* Eodem fere sensu *l. 1 ff. de R. D. re sacræ, sanctæ, & religiosæ* dicuntur esse Divini Juris, quod repetitur *§. 7. Inst. cod. & l. 23. C. de SS. Eccles.* Ratio est, partim, quia ex Divino Fonte, SS. videl. Litteris, promanarunt Ecclesiastici Canonès; partim, quia facti sunt auctoritate, & potestate Ecclesiæ immediatè à Deo concessà; partim quia agunt de rebus ad Deum Divinùmque cul um pertinentibus. II. Statutæ sunt Decimæ in lege gratiæ secundùm *quandam humanitatem*, ut ait S. Thomas *2. 2. q. 87. a. 1. in c. ut scilicet non minus populus nova Legis ministris novi Testamenti exhiberet, quam populus veteris Testamenti exhibebat: cum tamen populus nova Legis ad majora obligetur, secundùm illud Math. 5. nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Phariseorum &c. & cum ministri novi Testamenti sint majoris dignitatis, quam ministri veteris Testamenti, ut probat Apost. 2. Cor. 2.* Cum igitur decimas Ecclesia statuerit ad exemplum legis Divinæ, & quidem ob potiorem rationem, dicuntur statutæ *Jure Divino*: sicut solent Patres præceptum Jejunij quadragesimalis *Divinum* dicere, quia ejus exemplum in Domino præcessit, ut habetur *can. 16. 21. & 25. dist. 5. de consecr. c. 8. dist. 76. Concil. Senon. c. 7.* III. Sunt decimæ præceptæ *Jure Divino* potestate, seu in radice, ut loquitur

quitur Suarez *c. 10. n. 8.* quia potestas hanc partem pro ministrorum sacrorum alimentis determinandi non pertinet ad Jurisdictionem secularem, quæ principibus immediatè data est à populo; sed ad Ecclesiasticam, quæ immediatè promanat à Dec. IV. denique debentur decimæ Deo in suis ministris: quâ ratione peculiari modo pertinent ad Jus Divinum. Sunt item decimæ res sacræ, ac religiosæ, jusque eas percipiendi est spirituale, & ad cultum Divinum pertinet, & idèd hac quoque ratione Divinum appellari potest, id est, Jus ipsi Deo comparatum.

Ad 3. argum. multò facilior est responsio. Negatur enim, præceptum vetus de decimis solvendis non fuisse revocatum: cum enim non sit naturale, sed duntaxat judiciale fuerit, ut diximus n. 27. sepultum cum Synagoga morte Christi fuit, ut reliqua judicialia, ac ceremonialia veteris Legis præcepta. Unde speciali revocatione opus non fuit, quia tota illa Lex, teste Apost. *Galat. 3.* solum posita est, donec venires semen, Abrahæ promissum, Christus, & ut idem ait, *Lex vetus pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pedagogo.* Quòd verò operarius, ut Christus dixit, *dignus est mercede sua,* & quòd Deus, teste Apostolo, *ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere,* pro-

bat quidem, quòd ministris Evangelij debeantur alimenta, non verò quòd determinatè pars decima fructuum. Ex eo denique quòd Pharisæi, asserente Christo, debuerunt, uti fecerant, pendere decimas, non sequitur, quòd obligati fuerint Legge nova, sed solum, quòd Mosaica. Nova enim Christi non cœpit obligare ante diem Pentecostes, ut fuse probat Suarez *de Leg. lib. 10. c. 4.*

Assert. II. Decimæ debentur Jure Ecclesiastico. Assertio est de fide, ut benè asserit Suar. *Tom. 1. de Relig. l. 1. n. 2. c. 11. n. 3.* & patet ex *tot. tit. de decimis*, tum in antiquis, tum in 6. & Clement. nec non ex *c. decima 16. q. 1. c. omnes decima 16. q. 7.* varijsque Concilijs, quæ allegat Bellarm. *tom. 1. cont. 5. l. 1. c. 2. 5. n. 20.* ac præcipuè Trident. *sess. 15. c. 12. de reform.*

Quàm antiqua sit hæc lex Ecclesiæ, non satis convenit inter DD. & hîc quoque, ut in multis alijs acutiùs cernere sibi videntur RR. Critici, ac præcipuè Lupus *tom. 4. scholior. in Canones p. 195.* & Bernvan Elpen *Jus Eccles. p. 2. tit. 33. c. 1. n. 11.* putantque decimas seculo quinto fuisse voluntarias. Sed si quis benè expendat, quæ S. Hieronymus *in c. 3. Malach. & epist. 2. ad Nepotian.* ac S. Chrylost. *tom. 4. in ep. ad Ephes.* de decimis tradunt, videbit, hos PP. præceptum supponere, & non, ut illi volunt, piè duntaxat exhortari fideles ad eas solvendas. Et quamvis sermo 219. de

C tempor.

tempor. u' i dicitur, decimas ex debito requiri, fortè non sit S. Augustini, uti aliqui contendunt; idem tamè S. Doctor *homil. 48. inter 50. aperte* supponit, præceptas esse decimas. Idem supponit S. Ambrosius *serm. 1. q. 1. dicitur*. dum ait: *Quicumque recognoverit in se, quòd fideliter non dederit decimas suas, modò emendet, quòd minus fecit.* Quia Clemens Romanus coævus Apostolis, eorumque alumnus, *L. 2. constit. Apost. c. 25.* ait, decimas secundum Dei mandatum tribui. Idem dicit *l. 8. c. 30.* Eadem habet Cyprianus *ep. 34. & 66.* Origenes antiquissimus itidem Doctor, utpote qui vixit seculo secundo, & tertio, *homil. 11. inc. 18.* Num. dicit, præcepta Primitiarum, & Decimarum esse ex his, quæ ad litteram sunt servanda in Lege gratiæ. Deniq; Concilium Mogunt. *relatum c. 6. 16. q. 7.* ait *decimas Deo & sacerdotibus dandas Abraham factis & Jacob promissis insinuat: deinde lex statuit, & omnes sancti Doctores commemorant.* Immeritò igitur de antiquitate huius præcepti dubitatur, benèque asserit Laym. *l. Theol. Mor. 17. c. 1. n. 2.* sine temeritate negari non posse, esse hanc Apostolicam traditionem, seu, Ecclesiam statim ab initio æquissimum, & necessarium judicasse, ut decimæ bonorum etiam Evangelicæ Legis ministris, tanquam vitæ stipendium, à fidelibus tribuerentur.

42. A Tert. III. Decimæ debentur Ecclesiæ Ministris ex Religione simul

& Justitia. Hæc quoque assertio est communis Th. Th. & Canonist. Ratio patet ex triplici fine, propter quæ hæc lex statuta est. Nam Primò Deus eas sibi reservavit in signum universalis dominij. *c. 33. & c. 26. h. t.* Secundò, ut per decimarum præstationem Christiani non minus se gratos Deo ostendant, quam legis veteris cultores. ut ait D. Chrysost. *hom. 43. in 1. Corinth.* Cum igitur Ecclesia ex hoc gemino motivo decimas statuerit, cùmque hoc motivum sit Religionis, consequens est, illas deberi ex obligatione Religionis. Tertio debentur decimæ ministris Ecclesiæ, tanquam stipendium laboris, & alimenta. *c. si ergo 12. q. 1. c. Novum. 2. h. t.* ergo eas dare pertinet quoque ad Justitiam. Unde Clem. Rom. *l. 2. constit. Apost. c. 29. & 38.* eas comparat tributis Principum, quæ ex Justitia debentur: Et Trident. *sess. 25. c. 11. de refor.* præcipit, *ut qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ absolvantur.* Atqui restitutio supponit debitum Justitiæ.

Neque obstat, quòd S. August. *41. Enchirid. c. 70.* & S. Chrysost. *hom. 74. in Math.* Decimas enumerant inter eleemosinas. Sumunt enim hanc vocem latè pro quacunque pia contributione, tamen si debita ex Justitia. Vocit n̄ super eleemosinas, quia Clerici inde alere pauperes debent. Pariter non obstat, quòd ex Justitia

vi Juris naturalis, & Divini debeantur Dei Ministris solum alimenta, non verò determinatè pars decima fructuum. Nam hoc ipso, quòd Ecclesia stipendium & alimenta ipsorum constituit in parte decima, hæc jam debetur ex Justitia: sicut per se quidem, & Jure naturali, Principi, eiusque Ministris subditi

solum debent, quantum ad decentem eorum statum conservandum, & defendendam Rempubicam requiritur: si tamen Princeps in hunc finem certam semel quantitatem determinaverit, certaque propterea tributa exigat, hæc jam debentur ex Justitia.

## QUÆSTIO III.

### An justè fuerint statuta Decima?

#### SUMMARIUM.

44. Error negantium Ecclesie jus ad decimas.

45. Fundamentum erroris.

46. Sunt etiam in novo Testa-

mento aquisitè statuta.

47. 48. 49. Rationes statuendi.

50. Corollaria ex dictis.

44. POSTquam allatum est præceptum Ecclesie de decimis solvendis, nunc eius æquitas contra hæreticos defendenda est. Wicleffus, ut refert Waldensis l. 2. de doct. Fidei art. 3. c. 64. docuit, decimas esse puras eleemosinas, & nullo Jure deberi Sacerdotibus. Quem errorem sequuntur hodie Anabaptistæ, & Trinitarij, teste Bellarm. tom. 1. contr. s. l. 1. c. 25. Erasmus, arrogans ille Ecclesie censor, sacra passim arrodere solitus, & ova ponere, quibus Lutherus pullos excluderet, in añot. ad novum Testam. ausus est dicere, exactionem decimarum esse tyrasidem. Fraticelli, & PseudoApostoli Hæretici similiter errore lapsi sunt,

cùm dicerent, decimas non esse solvendas Clericis, qui paupertatem Apostolicam non profitentur. Quia aliqui Catholici DD, quibus favent Cajet. in 2. 2. q. 87. art. 1. & 3. ac Alphons. de Castro contra Hæret. V. Decima ad tuendam disci præcepti æquitatem, putabant esse necessarium dicere, non eo fine imperari decimas, ut in dominium Cleri transferant, sed ut eius duntaxat dispensationi committantur, ita ut Ministri sacri congruam pro ratione status sustentationem inde accipiant, & Ecclesie necessitatibus succurrant; quæ verò superfuerint, pauperibus erogent. Hinc inserebant peritissimi Theologi, ut loquitur Alph. de Castro

Castro *l. c.* Sacerdotes aliàs abundantes decimas recipere tanquam earum dispensatores, ut eas videlicet pauperibus distribuunt, & qui hoc non faciunt, injustè eas retinere. Idem sentire videntur S. Hieron. & S. Prosper relati *c. 6. & 7. 1. 9. 2.* Innocentius IV. etsi agnosceret æquitatem hujus Præcepti, ait tamen *rubr. de decimis*, nullam posse assignari rationem, cum Dei judicia sint incomprehensibilia.

45 Rationes dubitandi, an Ecclesia justa ratione decimam fructuum, & lucrorum partem pendi sibi voluerit, sunt istæ. Jure Naturæ, & Divino solum illa debentur Ecclesiæ Ministris, quæ sunt necessaria ad decentem eorum sustentationem: at non præcisè necessaria est ad hunc finem decima pars, sed sufficit vel duodecima, vel decima quarta, vel etiam minor. Cur autem Ecclesia plus suis Ministris dari velit, quàm quantum ad dictam sustentationem requiritur, apta ratio excogitari non potest. Neque sufficit exemplum Dei Levitis partem decimam tribuentis; tum quia Filij Levi, ut aliqui ajunt, erant ferè decima pars populi Hebræi, vel, ut censet Gabr. Vafq. *tract. de decim. dub. 1. n. 7.* pars duodecima; tum quia habebant uxores, & liberos; tum quia in distributione terræ non acceperant suam partem. In novo Testamento Sacerdotes neque sunt duodecima pars populi Christiani, ut censet Vafq. *l. 6. & vix sexagesima*, ut opi-

natur Lessius *l. 2. de Just. c. 39. n. 9.* habentque suas possessiones hereditarias, uti ceteri; nec habent uxores, & liberos alendos; neque omnibus Sacerdotibus decimæ debentur, sed solum illis, qui habent beneficia.

Affertio. Decimæ in novo Testamento æquissimâ ratione statutz sunt. Affertio est de fide, ut bene afferit Suar. *l. c. n. 3.* & demonstrat auctoritas Conciliorum, SS. DD. ac SS. Pontificum, suprà *n. 40. & 41.* allata, seu quod idem est, consensus universalis Ecclesiæ, quæ in moribus æquè ac circa res fide Divinâ credendas errare, præsertim in re tam gravi, non potest.

Ratione probatur I. Decimas in lege Naturæ dedit Abraham, vocitque Jacobus Patriarcha, instinctu Divino. Eisdem instinctu Naturæ solverunt Gentiles, ut diximus *n. 22.* Conforme igitur rationi est, eas etiâ modò solvi; præsertim quia major, & æquior stat ratio pro hodierno statu Ecclesiæ, ut mox dicemus; neque minus grati Deo esse debent Christiani, quàm fuerint ejus cultores in lege Naturæ, ac Mosaica, ac ipsi etiam salforum Numinum adoratores. Quam rationem indicant SS. August. & Hieron. suprà citati, & Chrylost. *hom. 43. in 1. Corin. h.*

II Deus comprobat hanc Ecclesiæ taxationem, dum fertilitatem concedit solventibus, non solventibus sterilitatem inmittit, teste B. Augustino *hom. 48. inter 50. Majores*, ubi inquit

quit, nostri omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Casari censum reddebant. Modò autem, quia discedit devotio Dei, successit indictio fisci. Nolumus cum Deo partiri decimas; modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Et serm. 219. Hæc est Domini iustissima consuetudo, ut si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam revocaris. Et iterum: si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis, & anima consequeris.

49 III. Deus Levitis, & Sacerdotibus veteris Testamenti dedit decimas omnium fructuum, lege utique iustissima. Eadem igitur, & æquè iusta ratione in lege gratiæ Ministris Dei decretæ fuerunt. I. Quia non soli Episcopi, & Parochi alendi sunt à populo, sed etiam multi alij sacrorum Ministri quia Sacrificia pro eodem, & orationes offerunt, aliæque abeunt Divina officia. Horum autem numerus est maximus, ita ut Bellarm. dicat *cit. c. 25. §. Primum*, Clerum Christianum fortè majorem esse numero, quàm sexagesimam partem populi Christiani; cùm tamen, ut idem supputat, Levitæ vix fuerint sexagesima pars populi Hebræi. II. Ministri Numinis in veteri lege non simplici decima, ut in Nova, sed triplici gaudebant. Unde illorum multò melior erat conditio, quàm est Ministrorum Novæ legis. III. Sacerdotibus antiquæ legis maximû com-

pendium erat, tum ex Primitijs, tum ex innumeris Sacrificijs, ac oblationibus panis, fructuum, rerumque aliarum, quæ sola ad eos alendos sufficere poterant. Hæc autem lucra non habent Sacerdotes legis novæ.

IV. In veteri lege decimæ manebant in familijs, quia transmittentur ad posteros. Unde fiebant valde divites. In lege nova non transmittuntur ad posteros. A multis vel nullæ, vel non integræ vi consuetudinis solvuntur. Per privilegia, & infeudationem à Prælatibus Ecclesiæ transferuntur in Laicos, qui in multis locis dimidiam earum partem possident, teste experientiâ. V. Ministri Novæ legis multò plus laborant, eorumque functiones sunt multò graviores, & excellentiores, ut notant Bellarm. ac Lessius. *l. c. c.* VI. Magnâ ipsis opus est eruditione, ad quam comparandam requiruntur magni sumptus. VII. Veritus ipsis est quæstus ex negotiatione, aliisque artibus, vel cultum divinum impediens, vel parùm decentibus statuum clericalem. At Ministris antiquæ legis non erat prohibitum lucrum facere ex mercatura, aliisque rationibus, quibus vulgus id potest. Quod discrimen affert S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 2. ad 1. VIII. Ministri novi testamenti sunt multò digniores, ut fusiùs explicat Suar. *cit. c. 11. n. 8.* Hinc pluribus egent ad tuendam suam dignitatem. Videmus enim, ait Lessius *l. c. n. 10.* Sacerdotes ijs in locis, ubi egestate premuntur, con-

temni, & nihil illis abjectius; unde fit, ut ad vilissima laicorum ministeria se abijcere cogantur, eorumque vultus, ut famuli, observare: quo sicut nihil est indignius, ita nihil ferè est, quod eorum linguas à coercendis populi vitijs magis impediatur, & cum Sacerdote sacerdotale officium contemptibile reddat. IX. In lege nova Ecclesiastici debent esse patres pauperum, orphanorum, & viduarum. Igitur non debent solum habere, quod ipsis sufficiat, sed etiam, quo illis subveniant. Quod si non faciunt, cum possunt, graviter peccant, uti habetur *can. fin. 16. q. 1. c. quod autem 23. q. 8. c. eorum 12. q. 2. c. clerici 1. q. 2. c. Pastor. c. Sacerdos 1. q. 2.* ac passim alibi, & ex S. Thoma late probat Franc. Sarmiento p. 3. de *Redd. Eccl. c. 4. n. 8.* Qua de causa decimæ dicuntur alimenta pauperum. *C. decima 16. q. 1. c. clericos. c. Pastor 1. q. 2.* At Ministris antiquæ legis nullum speciale præceptum circa curam pauperum datum est. Accedit, quod magna pars clericorum (ijs exceptis, qui ad Ecclesias Cathedralles, & Collegiatas assumuntur) non habet patrimonium sufficiens, quo alatur, sed potius parentes ac fratres, & sorores indigos, quos alatur. X. In antiqua lege unum tantum erat tabernaculum Foederis, unum templum, idque à populo, & Regib<sup>9</sup> omni apparatu instructissimum: in Nova sunt Templi innumerabilia, quæ ex decimis, si pietas Fidei<sup>9</sup> id ultra non præstet, suis ornamentis, & sacra

supellectili instrui, & sartata: ea conservari debent. Unde Gelasio ita tuente *epist. 1. c. 27.* uti refert, & explicat Concilium Triburiense *can. 15.* & Gregorio M. ac Concilio Toletano ut refertur *can. 27. ac seqq. 12. q. 2.* quatuor partes de decimis, & oblationibus Fidelium fieri debebant, quarum una cederet Episcopo, altera clericis, tertia pauperibus, quarta restaurationi Ecclesiarum servaretur. XI. Multæ aliæ sunt necessitates, quibus per decimas occurrendum est, & occurritur. Sic ex decimis fundata sunt Hospitalia (& amplissimorum multa redituum, de quibus Card. Pallavicinus *Hist. Concil. Trident. l. 9. c. 9. n. 4.*) dotata Monasteria, fundata Juventuti pietate & literis instituendæ Seminaria, magna pars Principibus pro defensione Ecclesiæ attributa, multæque Comendæ constitutæ. XII. denique maxima pars decimarum non Parochis, sed Episcopis, obvenit: quibus ob dignitatem, quâ præfulgent, congruit proventus habere ampliores.

Ex didis consequens est I. Decimas omnes, & integras transire in verum jus, & dominium Ecclesiæ: quia hæc habuit jus exigendi, & exigat, tanquam justa stipendia, & necessaria, ad sustentanda onera Ministrorum Ecclesiæ. Unde Fideles ad solvendas teneatur ex justitia; sicut facta semel determinatione Principis, quæ statuit, quantum singuli ad ipsius statum conservandum, be-

lum

lum gerendum, & pro alijs publicis necessitatibus contribuendum sit, singuli ex Justitia tenentur illam quantitatem dependere. Igitur contra Justitiam peccarent, non tantum ij, qui nullas solverent decimas; sed illi quoque, qui eam solum partem, quæ præcise ad alendum Parochum necessaria est, reliquam vero, quam Parochus in pauperes, & fabricam Ecclesiæ applicare tenentur, ipsimet ad dictos fines applicarent. Consequens est II. Jus decimandi esse spirituale, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 87. a. in c. docent Theol. & Canon. omnes: quia Ministris Ecclesiæ decimæ debentur titulo spirituali. Consequens est III. bene agere Clericos, qui decimas ad Laicos de-

voluntas vindicant, nisi Laici iusto se titulo tueri possint. IV. sequitur, bene eisdem agere, si non sinant consuetudinem induci, vi cuius postea decimæ aut omnino non, aut non integræ, & non ex omnibus fructibus solvantur. V. sequitur, vanas esse de decimis, & opibus Ecclesiasticis querelas & criminationes Hæreticorum, ac quorundam, plerumque tamen deterioris vitæ, Catholicorum, quibus semper nimium est, quod Clerus possidet. Unde rursus confectarium est, non inutiliter imitatos nos esse S. Thomam, aliósque gravissimos Doctores, disputando de æquitate præcepti, quod Ecclesia de decimis solvendis dedit.

## PARS II.

### De Causa Efficiente Proxima Decimarum.

#### CAPUT I.

#### De Obligatis ad Decimas.

#### QUÆSTIO I.

*Quam universim teneantur solvere decimas?*

#### SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| 11. Decimæ Personales plerisque in locis sunt abrogatæ.             | 12. Prædiales debentur ex omnibus fundis alicui Ecclesiæ subjectis. |
| 12. Prædiales debentur ex omnibus fundis alicui Ecclesiæ subjectis. | 13. Personales ab omnibus, qui Sacramenta percipiunt.               |